

est omnino puras, sine ullo additamento servari narrationes quæ per tot ora totque sæcula circumvolitant.

At verò *substantia* facti manere potest integra, si *majoris* momenti ipsum fuerit et ab omnibus idem quoad *substantiam* recipiatur, tametsi addantur ei variæ *circumstantiæ* quæ minorem fidem mereantur, et quæ vel pro dubiis haberi, vel etiam rejici valeant.

**113.** Attamen multò firmior foret vis traditionis, si vel aliquo *festo* publico factum quod refert semper celebratum fuisset, vel præsertim inveniretur *substantialiter* eadem apud gentes multas, ingenioque ac moribus diversas; quales sunt v. g. traditiones de *felici* et aureâ primorum hominum conditione, de quâdam culpâ ob quam homines ab eâ felicitate deinde exciderunt, de diluvio quo fuerunt puniti, de promisso quodam Salvatore, ac præsertim de necessitate sacrificiorum.

Cæterum notare præstat paucas esse traditiones quæ monumento, vel scripto quodam testimonio non confirmentur.

**Assertio 3<sup>a</sup> :** *Monumenta certitudinem vel probabilitatem præbere possunt de quibusdam factis.*

**114.** *Explicatur assertio.* Monumenti nomine venit *opus quoddam hominis arte confectum ad aliquid celebrandum vel repræsentandum.*

**115.** Monumenta reduci possunt ad *quinque* genera. *Prima* spectant ad *architecturam*, scilicet ædificia profana, vel sacra, vel super terram erecta, vel subterranea; v. g. templa, baptisteria, altaria, cryptæ, catacumbæ, confessiones, martyria, cubicula, sepulchra.

*Secunda* pertinent ad *sculpturam*, ut sunt statuæ, sarco-phaga, ornamenta glyptica, vasa, diptyca, instrumenta, ebore, marmore, aliisve confecta materiis.

*Tertia* ad *picturam*; v. g. picturæ murales, in templis, catacumbis, sepulchris; picturæ musivæ, picturæ in vitris.

*Quarta* ad *glypticam*, ac referunt personas, facta, etc., in margaritis, petris, aliisve metallis insculpta, quo in genere continetur *numismatica*, quæ *monetas et medalia* comprehendit.

*Quinta* sunt *mobilia et utensilia*, tum sacra, ut vasa, ins-

trumenta martyrii, reliquiaria; tum *profana*, sive *domestica*, sive *civilia*; v. g. vestimenta, lampades, etc.

Nostris porrò diebus, ex monumentis *maximum* adiutorium percipere licuit; unde permulta facta perantiqua, hactenus vel ignorata, vel minus nota, revelata fuerunt. Sub eo respectu, primum locum tenent inscriptiones, ad quas pertinent *Epigraphia*, quæ est scientia inscriptionum. Eas enim *innumeras* esse constat ab antiquitate sive sacrâ, sive profanâ; ab iis autem intelligere licet ritus, leges, memorias, dogmata, etc.

**116.** *Probatur assertio.* — *Constat 1<sup>a</sup> pars*, ac verax habendum est monumentum, si ex unâ parte, certa sit ejus *authenticitas*, si nempe indubium sit illud pertinere ad auctorem, aut saltem ad tempora quibus attribuitur; et si ex aliâ parte referat factum publicum, satis grave et alienum passionibus, modo tamen clara sit monumenti significatio. His enim positis conditionibus, monumentum jam exprimit ideas coætaneorum, aut saltem ab illis aliquo modo probatur, qui sanè reclamarent si quis homo inveniretur satis audax aut insanus ad erigendum monumentum in memoriam eventûs naturâ suâ publici et gravis.

Oportet tamen ut ipsum non nimis faveat adulationi alicujus gentis aut principis, maximè quod spectat ad inscriptiones; v. g. si credis arcui triumphali, in ejus honorem erecti, Titus primus Hierosolymam cepit; quam ceperat jam Pompæus, a Tullio dictus propterea *Hierosolymarius*.

*At 2<sup>a</sup> pars* ex eo probatur quòd monumentum non rarò caret partim aliquâ ex tribus conditionibus requisitis; scilicet vel certa non est ejus *authenticitas*, vel obscura significatio, vel adulationis indicia apparent aut aliunde cognoscuntur.

**117.** Porrò monumenti *authenticitas* constare potest signis *extrinsecis* et *intrinsecis*; extrinsecis, si aliquo testimonio vel orali vel scripto comprobetur; intrinsecis, si præ se ferat characteres aliunde notos auctoris sui vel temporis. Quod spectat ad *significationem* monumenti intelligendam, v. g. si agatur de sensu inscriptionum, attendendum est

præsertim ad sequentia : utrum scriptæ sint, vel incisæ; utrum in monumentis publicis, v. g. templis, sepulchris, monetis, vel privatis, v. g. in calicibus, annulis, numismatibus; utrum proinde sint religiosæ, historicæ, honorariæ, juridicæ; quo inscribantur metallo, v. g. ferro, plumbò, cerâ; quâ gaudeant litterarum formâ, quâ orthographiâ, quibus abbreviationibus, ornamentis; quo in loco sint repositæ. — De quibus omnibus ad doctiores erit recurrendum.

**118. Assertio 4<sup>a</sup> :** *Historia præbere potest certitudinem quoad facta tum cœva, tum præterita.*

Historia definitur : *alicujus, vel aliquorum factorum scripta narratio* (1).

*Certitudinem confert, si constare potest librum qui eam continet, esse authenticum, integrum et veracem.* Porrò id aliquando potest constare.

Authenticus est liber qui scriptus fuit ab auctore cui attribuitur, vel saltem tempore ei assignato, si ejus auctor lateat. Integer dicitur, si ad nos perveniat *qualis* ab auctore scriptus est; itaque integritas aliud non est nisi authenticitas partium; hæc tamen *substantialis*, non autem *accidentalis* et *absoluta* exigi debet. Verax est liber qui veritati factorum consulit et ea narrat prout evenerunt.

Si desit authenticitas, *spurius* vel *suppositus*; si integritas, *interpolatus* vel *mutilus*; si veracitas, *falsus* liber dicitur.

At quòd spectat ad integritatem, licet liber aliquà sui parte mutilus sit, partes quæ supersunt non omnem ideo amittunt auctoritatem, si modo incorruptæ servatæ fuerint. Sic plura capita historiæ romanæ a Tito Livio scriptæ perierunt; docti tamen parti superstiti eam auctoritatem agnoscunt quam habebat antea.

**119.** Porrò ars *critica* regulas præstat undè tuto pronunciare liceat de libri alicujus authenticitate, integritate ac veracitate.

(1) Vocatur a Tullio « testis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuntia vetustatis. » *Orator.*, II, 9. Breviùs Lacordaire : « L'histoire est le miroir qui réfléchit le passé, et le soleil qui éclaire l'avenir. »

Ars *critica*, ex græcâ voce κριτική, κρίνω, judico, si universim sumatur, designat artem quæ regulas docet ex quibus judicatur de operibus hominum intellectualibus et moralibus.

**120.** Cùm verò hæc opera pro objecto habeant *verum, pulchrum* aut *bonum* exprimendum, hinc divisio artis criticæ in *philosophicam, æstheticam* et *nomologicam*, quibus præcedere debet, ut introductio, *critica grammatica* et *philologica* quæ de libro judicat sub respectu sermonis aut linguarum.

Impræsentiarum pauca tantùm loquemur de criticâ philosophicâ, quatenus historicam certitudinem respicit, et regulas suppeditat ad secernendam alicujus libri authenticitatem, integritatem veracitatemque (1).

#### § I. — De regulis quæ spectant ad authenticitatem libri.

**121.** Eæ sunt duplicis generis, quarum aliæ signa libro *extrinseca*, aliæ autem signa *intrinseca* exhibent.

1<sup>o</sup> Inter signa extrinseca numerare licet imprimis *traditionem* sive oralem, sive scriptam, et adversariorum confessionem. Dubitari enim nequit de authenticitate alicujus libri, si hæc agnoscatur traditione orali, debitis conditionibus vestitâ, aut a pluribus scriptoribus, qui vel eam explicitè profitentur, vel implicitè, si nimirum ex eo libro loca quædam usurpant, quæ in codice autographo reperiantur. — Confessio adversariorum est criterium quo nullum certius in gratiam authenticitatis libri.

2<sup>o</sup> Signa intrinseca, tum ad *res*, tum ad *stylum* libri referuntur. Quòd si, ex unâ parte, res quæ in libro continentur, apprimè convenient cum sententiis, opinionibus, indole, ingenio auctoris, vel cum præjudiciis, moribus, opinionibus illius temporis quo scriptus fertur; et, ex alterâ parte, stylus conveniat cum auctoris et temporis sermone ac præcipuis

(1) Cf. Balmès, *Art d'arriver au vrai*, c. 8-12; P. de Smedt, *Principes de la critique historique*, quòd attinet ad regulas philologiæ, hermeneuticæ, historiæ et monumentorum, licet, maximè ubi de traditione disserit, criticum, ut nobis videtur, agat severum.

locutionibus, magnum hinc exurgit argumentum in libri authenticam. — Attamen ista duo intrinseca signa, cum sint merè *negativa*, requiruntur quidem, sed minimè sufficiunt neque nisi probabilem conjecturam addunt, si desiderentur omnino signa extrinseca. Vario stylo, pro variâ ætate et materiâ de quâ disserit, uti potest scriptor; imò nec desunt qui stylo proprio ac suo carent.

§ II. — De notis integritatis libri tum extrinsecis, tum intrinsecis.

122. 1° Tres sunt notæ extrinsecæ quæ faciunt ad integritatem libri; scilicet: 1 collatio illius cum exemplaribus aliis, maximè verò vetustissimis, unde concordia adsit inter exemplaria diversa; — 2 magna illius diffusio, præsertim si religiosâ curâ fuerit conservatus, quia ista vetant ne quis hunc librum corrumpat, addendo ei aliquid vel subtrahendo; — 3 demum potentissimum integritatis libri argumentum est, si æquè recipiatur ab hominibus qui sibi adversantur opinionibus, quantum attinet ad philosophicas, politicas, religiosasve quæstiones.

2° Notæ integritatis libri intrinsecæ sumuntur etiam ex rebus et stylo, cum in singulis libri partibus cohærent se cum et quadrant omnia; sed meram probabilitatem afferunt.

Econtrario, neganda est integritas aut etiam authenticitas libri, si vel pugnet cum opinionibus, ingenio et stylo sui auctoris, vel in eo desit unitas, vel quædam res aut locutiones contineantur quæ nonnisi postea cognitæ vel usurpatæ fuerunt.

§ III. — De regulis quæ attinent ad veracitatem historiæ.

Veracitas duo expostulat, nempe scientiam scriptoris ac probitatem, ut cognoscat facta quæ refert, et ea, ut novit, referat.

123. *De scientiâ historici.* — Historici scientia non *presumi*, sed *probari* et *constare* debet. Constare autem potest

multis indiciis, sive coævus, sive recentior factis supponatur.

1° Si *coævus* sit ac facta publica sint et alicujus momenti, non ægrè ea cognoscere potuit, quia vel forte præ oculis habuit, vel ex ore testium oculatorum excepit, vel ex sinceris didicit narrationibus. Cæteris paribus, præponendus est historicus qui factorum ipse testis fuit illi qui ea ab aliorum testimonio excepit, concivis autem merè contemporaneo, contemporaneus ætate solùm vicino.

2° Scientia historici *recentioris*, constare etiam potest, *indirectè* quidem, si minimè reclamaverint ipsius coætanei, posito quòd facile potuerint reclamare; *directè* verò, si fontes alleget ex quibus mutuatus est facta quæ scribit, nempe vel actus authenticos, vel publicas relationes, aut narrationes in præsentia factorum conscriptas, vel monumentalibus documenta.

124. Ut rectus habeatur *fontium usus*, duplex generatim instituenda est critica, alia *textuum*, *factorum* alia.

1° Textus consistit in documento ipso quo factum transmittitur; cujus, ut supra diximus, primum stabienda est authenticitas cum integritate. Quo posito, veniendum est ad *interpretationem textus*; ad quam plenè instituendam, opportunum fuerit cognoscere linguam ipsam in quâ scriptus est sicque vel ad philologiam, vel etiam ad *paleographiam* aut ad *diplomaticam* recurrere. — Quòd si textus, ut non rarò accidit, obscuritate laboret, utendum erit *hermeneuticâ* quæ certas regulas tradit ad intelligenda loca vel sensa ambigua, videlicet attendendo ad finem auctoris, ad subjectam materiam, ad genus litterarium, ad contextum, necnon ad loca parallela.

2° Postquam statuta est critica *textus*, transire præstat ad criticam *factorum*; quærendum est nempe utrum facta narrata nihil contra verisimilitudinem contineant; utrum convenient necne cum indole personarum quibus attribuuntur, cum circumstantiis seu moribus temporis ac loci in quo dicuntur evenisse; dein quæ sit fontium *auctoritas*, et utrum facta ista constent etiam vel contra infirmentur aliorum his-

toricorum narratione; quæ omnia si quis planè expedire velit, utetur *archeologia*, *chronologia*, *geographia*, et *rationario*.

125. Quicumque sit historicus, sedulò secernere præstat facti *substantiam* ab ipsius *circumstantiis*, et factum ipsum a *causis* quas illi tribuit historicus, vel a *consectariis* quæ ab ipso *infert*. Nam de minoribus *circumstantiis* rarò habet certitudinem: *judicium verò* de *consectariis* vel *causis* eventuum totum pendet a *sagacitate* historici, ac proinde non tam ut certum habendum est, quàm ut plus minùsve probabile.

126. *De probitate historici*. — Principii loco habetur historici, perinde ac hominis cujuslibet, veracitatem *præsumendam* esse, nisi probetur contrarium, quia *nemo gratis malus*, seu *nemo præsumitur malus, nisi probetur*. Nam diximus supra (n. 96), homini a naturâ inesse inclinationem ad verum dicendum, a quâ non discedit, nisi ductus speciali motivo vel commodo.

Porrò, ut pateat quid præsumendum sit de historici veracitate, legenda est, si liceat, ejus vita; nam plurimi refert cognoscere indolem ejus, ingenium, mores, præjudicia, quæ magnum influxum exercere solent in hominum probitatem.

Jam *sequentes* notæ indicant veracitatem historici:

1° Si ut talis a coætaneis laudetur;

2° Si nullam habeat causam cur decipiat, nullum commodum ex mendacio sperandum, imprimis verò si pro veritate dicendâ aliquid mali ex coætaneis suis tolerare debeat;

3° Si moderatum, gravem, candidum se exhibeat in rebus narrandis et narrationis modo.

4° Cæteris paribus, præponi debet vir dignitate aut muneribus notus, ignoto et mediocri viro; prior enim curam habet sui nominis, posterior autem ad id non tenetur. — Hinc est cur ab iis historicis libris cavere oporteat, qui *nullius* auctoris nomine insignantur, vel de rebus *secretis* agunt, quia in illis facilius est mendacium.

5° Iterum, cæteris paribus, majorem sibi veracitatis fidem conciliat, qui in factis a seipso narratis nullas partes gessit,

quàm qui eorum vel aliqua, vel magna pars fuit; posterior namque commodis aut cupiditatibus omnino non vacat.

127. Econtra historici veracitas *suspecta* meritò habetur quatuor præsertim ex causis, videlicet ex rebus narratis, ex modo quo narrantur, ex personâ et ex methodo narrantis.

1° *Ex parte rerum*, si naturâ suâ parùm credibiles sint, aut cum factis aliis parùm concordent, aut scribenti nimium faveant, aut historicus propriam scribat biographiam.

2° *Ex parte narrationis*, si peccet styli acerbitate, vehementiâ nimiâ, vel elegantiae ac leporis affectatione.

3° *Ex parte narrantis*, si infidelis deprehendatur in auctoribus citandis, si taceat de rebus sibi contrariis, aut novitatem studiosiùs exquirat, aut si semel atque iterum mentitus fuerit; nam, ut ait Tullius: « Si quis semel pejeravit, ei credi postea, etiamsi per plures deos juret, non oportet. » (*Pro Ligar.*)

4° *Ex parte methodi*, si, ut videre est apud recentes quosdam historicos tum Germanos, tum Gallos, sectetur methodum *transcendentalem*, sive *a priori*. Nimirum illi statuunt a priori principia quædam philosophica, ut putant, et ea deinde factis *omnibus*, velit, nolit natura factorum, applicant; ex iis quæcumque facta sint, explicant, atque etiam futuras res prænuntiant, quas volunt fieri *unâ* atque *immutabili* lege.

128. *Corollarium 1<sup>um</sup>*. Repudiandus est igitur *scepticismus historicus*, eorum scilicet qui aut vim testimonii *generatim* respuunt, aut non accipiunt pro factis *remotioribus*, aut saltem pro factis *supernaturalibus* sive miraculis. — Ita Lockius, Laplace, Lacroix testimonium generatim pro dubio habent; Cartesius autem pro merè probabili. Vico, Herder, Niebuhr, facta vetustissima rejiciunt, aut saltem interpretantur ut *symbola* quædam, *allegorias*, idearum personificationes; quod systema *symbolismi* aut *mythismi* nomine, magnam nuper famam excitavit. — Increduli ridiculam eam interpretationis methodum factis solùm supernaturalibus applicant; ita Dupuis, Volney, Hegel, Strauss, Renan, cæterique rationalistæ recentes, juxta quos factum supernaturaliale aliud non est quàm factum *ex se* naturale, sed quod populorum *imagi-*

natio iis adornat circumstantiis quæ formam supernaturalem illi conciliant.

129. *Corollarium* 2<sup>um</sup>. Attamen in certis casibus, nihil ex historiâ, præter *probabilitatem* colligere licet; et in *omni* libro historico sunt *multa* quæ non accedunt ad certitudinem. Testimonia enim ævi præteriti sunt *incompleta* simul et *disjuncta*; unde historicus, ut *totum* quoddam integrum atque unum ex his partibus adstruat, multa debet *interpretari, explicare, inferre*; quæ potiùs conjecturis quàm probationibus nituntur. Porrò in historiâ ut in aliis scientiis, non quidem exaggeranda, sed tamen æstimanda est probabilitas, præsertim quæ cum adjunctis benè cohæret.

### CAPUT III

#### DE REDUCTIONE DIVERSORUM CRITERIORUM AD CRITERIUM UNICUM VEL SUPREMUM

130. *Status questionis*. — Hactenus de singulis criteriis veri singulatim disputavimus; at investigare jam licet utrùm ita sint alia ab aliis diversa, ut ad unum ultimò reduci non queant. Intellectus namque hominis unitatem vehementer diligit, et conatur varietatem rerum ad unitatem revocare, quantum fert ipsarum natura.

Porrò quæstio de quâ nunc, duo significare potest: 1<sup>o</sup> utrùm diversa criteria ad unum ita reduci possint, ut *unum* reipsa extet criterium? — 2<sup>o</sup> Posito quòd plura sint criteria reapse diversa, utrùm saltem unum sit inter ea *primarium* atque *ultimum*, ex quo cætera vim suam mutuentur, et quod sit *ultima ratio totius certitudinis*?

### ARTICULUS I

#### De reductione diversorum criteriorum ad criterium unicum.

131. Inter philosophos qui *omnem* certitudinem ex uno criterio seu fonte hauriunt, alii eam ducunt ex *fide divinâ*, alii autem ex *fide humanâ*, seu ex consensu populorum.

1<sup>o</sup> Prior opinio nomen habet *fideismus* vel *traditionalismus*.

Excogitata est ab Huetio, Abrincensi episcopo, qui asseruit rationem propriis viribus ad certitudinem accedere haud posse, sed *fide* adjutam, certitudinis jam capacem evadere. Ad quam opinionem satis accessit Pascal.

*Traditionalistæ* etiam Huetio adhæserunt, nisi quòd dixerunt revelationem primitus factam, singulis hominibus transmitti ope societatis ac loquelæ; ita de Bonald, Bautain, Bonnetty et P. Ventura.

2<sup>o</sup> Posterior opinio inventorem habuit Lamennais, qui maluit ponere fontem certitudinis in ratione *generali*, seu consensione humani generis. Deus enim ab initio *revelare debuit* primarias veritates quibus constat rationalis vita et genus humanum infallibilitate donare, ut eas singulis hominibus transmitteret (1).

132. PROP. 1<sup>a</sup>. *Fides divina non est unicum, nec ultimum certitudinis criterium.*

1<sup>o</sup> *Fides non potest implere vices aliorum criteriorum*, quia plurimæ sunt veritates internæ aut externæ, physicæ aut metaphysicæ, de quibus nihil dicit.

2<sup>o</sup> *Supponit rationem*. Fides enim debet esse *rationalis*, ut monet D. Paulus. Sed in tantum rationalis quit esse, in quantum ratio probat Deum existere, revelare posse, et reipsa eam vel illam veritatem revelavisse.

3<sup>o</sup> *Fideismus scepticismum universalem fovet*; siquidem extenuat vires rationis, sine quâ nec ipsa fides stare potest.

(1) *Essai sur l'indifférence*, t. II, c. XII-XV.